

ritutus. Solent enim homines ex testimonio Parentum haurire & quasi cum lacte maternò imbibere quædam, ut adeò promptè illis assentiantur, ac si essent per se nota.

§. 18. *Sextò* nonnemo in demonstrandâ Dei existentia, hòc modò & hisce verbis procedit: Duas homini Atheo enunciationes formaliter contradictorias proponemus hæc:

*Omne Ens est dependens,
Quoddam Ens non est dependens.*

Quarum alterutram necessariò admittere cogetur cum impossibile sit utramque vel simul veram, vel simul falsam esse. Quamcunque autem admiserit, captus erit; & vel nostram sententiam probabit, vel suam rationi ipsi, quâ tamen se præditum esse non negat, adversari deprehendet.

§. 19. Non potest autem vera esse prior illa universalis affirmans, quia si omnia entia dependentia essent, & in illò ordine dependentiæ ad ultimam tandem non deveniretur, querendum vicissim esset de totò illò rerum dependentium collectivè sumptarum cumulò, utrum esse suum habeant ab aliò aliquò ente, quod extra dependentium numerum esset, *annon?* Si prius dixerint Adversarii; habebimus quod volebamus: nam illud ipsum Ens, quod extra dependentium omnium numerum est, DEUM appellamus. Si posterius asseruerint, vertent statim hypothesin propriam, & negabunt dependere, quæ paulò antè dependentia esse omnia statuebant. Ne nunc Scoti illud argumentum operosè urgeam, qui *part. 1. dist. 2. q. 2.* ait: datò processu in infinitum in dependentibus, dari infinitum superius & consequenter in infinitum perfectius, atque id ipsum DEUM esse; aut si illud non detur, non dari etiam processum in infinitum, atque sic iterum hypothesin ipsam everti.

§. 20. Si dicant res omnes à se invicem dependere non

C

per